



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Sanctorvm Qvinqvaginta Ivris-Peritorvm Elogia**

**Roberti, Johannes**

**Leodii, 1632**

S. Primarivs Confessor, Et Ivdex, Aegyptivs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45032**

S. PRIMARIUS  
CONFESSOR, ET IVDEX,  
AEGYPTIVS.

ASSERTIO IVRISPER.

*Cum in IVDICIO SEDI, nec filij mei personam contra Iustitiam accepi. Ita ipsemet S. Primarius, lib. 2. de Vitis Patrum, Ruffino Presbytero auctore.*

**N**Ota est illius magni Anachoretæ Paphnutij sanctitas. Is cum se diu, multumque in exquisitissimis virtutis, pietatisque operibus exercuisset; **DEVM** aliquando oravit, dignaretur sibi ostendere, ecquis paris secum, coram ipso **DEO**, esset meriti. Audiit amicum sibi seruum optimus Dominus, responditque: *Similem te esse nosce PRIMARIO vici illius, qui est in proximo.* Mox igitur ad eum adit Paphnutius, quem Primarius (vtror hoc nomine, tamquam eius proprio, etsi Dignitatis potius esse scio: verum aliud non proditur) pro more sibi solemniter, lætus



lætus gratum hospitem accipit, pedes lauat, mensam apponit, & quam potest lautè habet. Inter epulas rogat Anachoreta Primarium, quemadmodum vitam agitet, quas virtutes potissimum exerceat? ille de se vilia, & humilia respondet, sed vrget hospes, aitque à DEO sibi indicatum, dignum esse, qui cum Ascetis versaretur, petitque candidum responsum. Tum ille, tamquam DEO iubente ita inquit: Triginta iam totos annos à commercio cum vxore meâ abstinéo, nemine alio conscio; neque illam nisi liberorum suscipiendorū causâ vnquam cognoui. Hospites lubens semper suscepi; quin etiam ante alios lætus illis occurri: ex ijs neminem vnquam sine viatico egredi domo meâ passus sum: quibusuis pauperibus necessaria, quoad potui, hilariter præbui. *Cum in IVDICIO SEDI, nec filij mei personam, contra iustitiam accepi.* Alieni laboris fructus nunquam introïerunt in domum meam. Litem si vidi, nunquam præterij, donec reconciliarem dissidentes ad pacem.

Quan-



Quantum in me fuit, nunquam permisi, ut potentior infirmum premeret. Dum vixi, operam dedi, neminem ut contristarem. Dum primas in IUDICIO tenui, neminem condemnavi, sed litigantes in concordiam reuocaui.

Ad hæc Paphnutius, sancti Iuriconsulti caput exosculatus: *Benedicat te Dominus ex Sion*, inquit, *& videas bona Ierusalem*. Cæterum vnum tibi deesse scito, omnia ut relinquant, & ipsam sequaris DEI sapientiam, thesaurosque secretiores quæras, quos nunquam reperies, nisi teipsum abneges, crucem tuam tollas, & Christum sequaris.

Vix hæc elocutus, erat Paphnutius, cum admirandus ille Primarius, nullâ prorsus rei Domesticæ ratione habitâ, cum eo Desertum petijt. Quod DEVS cordi sibi esse mox ostendit. Nam cum traijciendus occurreret fluuius altissimæ profunditatis, intrepidè utriusque ingressi, vix latera tincta sunt. Vbi ad Eremum ventum est, præcepta tradit cælestis Sapientiæ, Tironi suo exercitatus Magister: quæ



quæ ille ita avidus arripuit, ita sedulus exercuit, ita constanter ad finem usque tenuit: ut Paphnutius testatus sit, se aliquando in cellulâ suâ sedentem, vidisse eius purissimam animam in cælum euolantem, stipantibus Angelorum Choris, & hilariter cōcinentibus: Beatus, quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit in atrijs tuis.

Floruit cum Paphnutio, Anno Christi 325.

C S. ATHANASII

